

D. O. M. A.  
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**TONSILLIS,**  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
*DOMINO*  
**GVILIELMO HENRICO,**  
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ &c.  
*INDVLTV ILLVSTRIS ET GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ*  
*IN FLORENTISSIMA ACADEMIA IENENSI,*  
SVB PRÆSIDIO  
**RVDOLFFI GVILIELMI**  
**CRAVSII,**  
HEREDITAR. in Mellingen/  
PHIL. ET MED. DOCTORIS, PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.  
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORIS, ET ACAD. N.C.  
COLLEGÆ,  
**PATRONI AC PRÆCEPTORIS**  
**COLENDI,**  
**PRO LICENTIA**  
DOCTORALES IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA CONSEQUENDI,  
Publico eruditorum examini exposita  
a  
**WILHELMO RVDOLPHO Schäffenberg/**  
Anat.  
B.  
64,10  
*Diss. orat.*  
*345.013.000*  
Dornburgo. Thuring.  
*IN AUDITORIO MAIORI,*  
Horis ante- & pomeridianis,  
A. D. Novembr. MD CC IV.

IENÆ, Typis CHRISTOPH. KREBSII.

*SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
WILHELMO  
ERNESTO,*  
DVCI SAXONIÆ, JVLIÆ, CLIVIÆ  
AC MONTIVM, ANGRIÆ ET WEST-  
PHALIÆ, LANDGRAFIO THVRIN-  
GIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRIN-  
CIPALI DIGNITATE COMITI HEN-  
NEBERGIÆ, COMITI MARCÆ ET  
RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ  
IN RAVENSTEIN,

*PIO, FELICI, AVGVSTO,  
PRINCIPI AC DOMINO SVO  
CLEMENTISSIMO,*

*Specimen hoc inaugurale  
Subiectissima & humillima Devotione*

*offert*

*Wilhelm Rudolff Schäffenberg.*



## I. I.

**D**roposueram mihi, Jussu Illustris Facultatis Medicæ *specimen inaugurale* editurus, Ipsius gratioso consensu TONSILLAS, utpote quarum affectus in omni ætate frequentius occurunt, tamque ægris, quam Medicis multum negotiis sæpè facessunt, physiologicè, pathologicè & therapeutice accuratius pertractare. Verum, cum multæ intervenerint prægnantes causæ, quæ manum operi admotam materiam arctioribus cancellis constringere jusserunt, dum brevità hīc sit litandum, paucula saltim in medium proferre licet. Nostris Deus annue cæptis!

## CAPVT I.

*Sistens*

## Tonsillarum Physiogiam.

## §. I.

**N**omen Tonsillarum unde derivatum sit varii variarū finixerunt; Propius tamen rei adcedere videntur, qui desumtum volunt aut à *Tonsilla*, significante secundum *Festum*, Einen Anfuht/ oder Haaffen/ it. einen Pflock daran man den Kahn bindet; quod nempe tonsillæ in fauci bus quasi portus sint, ad quem humores adpellunt; aut, secundum *Gerbard. Blasium*, comment. in *Joh. Vestingii anatom. c.*

A 2

II. p.

n. p. 174. à *Tonsis*, quæ remorum partes sunt extremæ, latæ, non acutæ, quibus unda verberatur remigando, adeoque immersi solent in aquas; idque ob triplicem tonsillarum in faucibus cum tonsis remorum similitudinem, quam autor loc. cit. uberius exponit. vid. etiam *Becmannus de orig. Lat. ling.* *Quidam* volunt *Tonsillas*, tanquam diminutivum dici à rote, *Tones* verò, ut inquit *Festus*, est tumor faucium, vid. *Castelli Lexicon. p. 373.*

§. 2. *Tonsillæ*, quæ à Celso simpliciter glandulæ, sicut & à Gallis les glandules appellantur, veteribus, ut & Barbaris ut plurimum nominatæ fuerunt *amygdalæ*, it. *amygdalinæ*, quam appellationem etiam quidam ex recentioribus retinuerunt. *Germani* quoque usitatè dicunt die Mandeln im Halse / scil. à formâ externâ, qua, magis tamen in statu earundem præternaturali prominere, &, ore satis hiante, conspici solent; In statu enim naturali sic raro apparent. *Græci*, teste Celso vocarunt *avtiāðas*, à Græco *avtiāðω*, quod utrinque in faucibus sibi situ è regione respondeant, sive, sibi ex opposito sitæ sint. it. *παειδμια*, quod in istmo, hoc est, ut *Nicol. Piso de morb. cognit.* & curat. l. 2. c. 2. p. 323. ait, in parte, quæ gulam & os intercedit angustâ, conspiciantur; vel, quod propè gurgulionem, quem veteres, teste *Job. Guinth. Andernaco de medic. vet.* & nova Comment. i. dialog. 5. p. 187. *ιδμοὺς* nuncuparunt, sitæ sint. Ubi tamen simul notandum, quod *avtiāðes* & *παειδμια* plerumque apud veteres denotent etiam ipsos affectus, & statum præternaturalem tonsillarum, ceu videre licet inter alios apud jam laudatum *Nicol. Pisonem l. c. Rondeletium in meth. curand. morb. l. 2. c. 4. p. 323. Jul. Cesar. Claudinum consult. med. 88 p. 677.* Imò referente jam laudato *Andernaco l. c. Latini Græcos imitantes*, & *partes & morbos tonsillarum nomine vocarunt*, sic quoque *Castellus l. c. dicit Paristhmia*, idest *Tonsille*, sunt inflammations locorum & partium ad isthmum pertinentium.

§. 3. Sunt autem TONSILLÆ caro glandulosa, spongiosa,

*sa, productione suâ perpetuâ & continuâ in faucibus, utrinque circa radicem linguae, ad latera uvulae excurrens, & prominentia suâ duas quasi glandulas efformans, lymphæ segregationi, & vicinarum partium bumectioni ministrans.*

§. 4. *Diximus tonsillas esse carnem glandulosam. Nam autopsia docet substantiam illarum non esse carnem sic propriè dictam musculosam, nec tunicosam, aut parenchymaticam; sed peculiarem, ex glandulis congregatis copiosis inter se invicem conjunctis, cunctis, & conglutinatis coagmentatam.*

§. 5. *Existimant quidem multi ex vulgo, & veteribus, tonsillas esse geminas distinctas glandulas, utrinque ad latera uvulae, circa faucium extremitatem separatim sitas. Verum inspectio anatomica acurior monstravit, tonsillas non binas separatas glandulas esse, sed unam carnem glandulosam, continuâ serie per palatum in regione faucium extensam, utrinque tantum versus latera extremitatis faucium in eminentiore, & aliquo modo spissiori formâ protuberantem, in medio autem divisionem aliquam, & sic geminas diversas glandulas saltim mentiri.*

§. 6. *Sicuti etiam glandulæ in genere propter exilia sua, ex quibus contexta sunt vasa, meatusque & porulos plurimos, ut & quarundam manifestiora foraminula spongiosa, fungosam, raram & laxam habent substantiam, propter quam promptè suscipiunt, & quasi imbibunt serum à massâ sanguinea sequestrandum; ac, ubi per vasa glandularum tenuissima & angustissima serum illud suscepit, ob causas præternaturales tam internas, quam externas non refluere potest, sed stagnat, & à copiosiori novi seri affluxu augetur, facile ita intumescunt, ut in tali suo præternaturali statu glandulæ etiam minimæ, sensu anteâ non obviæ, sic inflentur & tumidæ fiant, ut ipsarum magnitudo aucta oculis manifestè conspici, & tactu exquisite percipi possit, atque inde varia ac gravissima mala, & pericula sæpè lethifera emergant;*

Præterea, sicuti glandulæ in genere ob jam dictam suam peculiarem texturam, suumque à natura adtributum officium, inter partes debiliores, ad materiam peccantem à robustiori parte propulsam, atque eò depulsam recipiendum primarium locum occupant: Ita, cum etiam tonsillarum textura glandulosa sit, spongiosa & laxa, vasa exilia, & meatus ac poros plurimos &, ut quidam volunt, præ aliis magis patulos habent, ex quibus, si comprimantur, humidum aliquo modo viscidius, pituitosum, sive ut alii vocant, pingue exiisse observatum fuit, usumque secernendi cum aliis glandulis communem habent; Hinc facile appareat, quam valde tonsillæ ad humorum serosorum peccantium, & à massâ sanguineâ sequestrandorum susceptionem, horumque ob levem, & frequentius frigidam, vel acrem causam, retentionem, intumentiam hinc oriundam, & alia mala, pro diversitate causarum & humorum qualitatis dispositæ sint.

§. 7. Haud parum etiam ad faciliorum in tonsillis humorum stagnationem tribuere potest ipse humor in tonsillis segregatus, & ordinariè in fauces eructatus, qui, sicuti modò innuimus, etiam in naturali suo statu ex tonsillis expressus, spissioris & viscidioris, quam reliquus humor salivalis conscientiæ est, ideoque à quibusdam *pinguis* dicitur.

§. 8. Situm Tonsillis præbent fauces, quâ de causa etiam *πνειωτικα*, διπό τοῦ αὐθηκεῖσθαι τῷ ιδμῳ, quod in isthmo, hoc est, faucium angustiis reconditæ sint, sive, quod isthmi in modum inter os & gulam interjectæ sint vocari solent. *Paulus de Sorbait Isagog. med. part. I. c. 14. p. 40.* ossi hyoidi utrinque adstare tonsillas, ait.

§. 8. Quamvis igitur plurimæ intra oris, palati & fau-  
cium ambitum reperiantur glandulæ, quidpe, ut ait *Ludov. Mercatus tam 3. l. 2. c. 2. p. 163.* earum *triplex* in ore reperitur  
sors, officium & natura; tonsillarum tamen nomine proprie  
illæ protuberantie solùm veniunt, quæ utrinque ad latera fau-  
cium, paulò supra laryngem, circa linguæ radicem, ore satis  
hi

hiante, & linguâ depresso conspiciuntur, inter quas  $\sigma\alpha\phi\lambda\eta$ , uvula, das Zäpfchen media dependet; sive ut Thom. Barthol. anat. reform. l. 2. c. 11. p. 297. dicit: sunt glandulæ illæ ad uvula latera sitæ, quæquæ ex adverso, & è regione sibi situ respondent, unde  $\alpha\tau\tau\alpha\delta\epsilon\varsigma$ , sicuti superius §. 2. diximus, vocantur.

§. 9. In usu Tonsillis adsignando variant authores, & exercitatissimus olim Leidenium anatomicus Job. van Horn in microcosmo §. 18. sibi tonsillarum usum adhuc incognitum videli, libere fatetur, quid etiam sentiant Job. Riolanus antropog. l. 4. c. 10. it. Warthonus adenograph. c. 22. p. 128. prolixè legi potest in D. Job. Maur. Hoffmanni dissert. anat. physiol. ad Job. van Horn Microcosmum p. 15.

§. 10. Plurimorum tamen constans opinio est, tonsillas salivalis lymphæ secretioni & excretioni dicatas esse, ut humor hoc per obliquas inferioresque partes descendente, aspera arteria, fauces, lingua, œsophagus, pulmo & aliæ partes rigentur, & humectentur. vid. Andernacus l. c. Job. Vigerius, op. chirurg. l. 1. de part. corp. hum. c. 8. cum quibus paribus tibius concinit Thomas Bartolinus in anat. reform. p. 297. dicens: Tonsillæ humiditatem cerebri suscipiunt, eamque in salivam convertunt, cujus gratia fauces, lingua, larynx, & œsophagus humectantur; his addit, tonsillas quoqne ad gustum, qui sine madore non fit, facere, adsitasque sibi tonsillas habere duas vesiculas candidas, quæ è glandulis serum recipiunt, & in os eructant.

§. 11. Sed claudimus hoc caput effato illustris Wedelii, Patroni & Promotoris nostri plurimum venerandi, qui Physiol. reform. c. 11. §. 18. p. 399. dicit, Tonsillas ministerialiter solum ad gustatum aliquid conferre, sugerendo humidum, salivale, quod sub linguâ scaturit copiosius; & ibid. cap. 5. p. 112. glandulas præsidere lymphæ secretioni à sanguine, & in tonsillis, tanquam glandulis globosis inter se, & congregatis

ad

a invicem præsentiorē & notabiliorē secretionē (scil. salivæ) fieri.

§. 12. Sicuti verò tonsillæ non eructant humidum salivale excrementitium prorsus inutile, sed ex parte circulatione adhuc dignum; ita, quomodo ulterius circuletur, facile colligi potest ex prælaudati Wedelii phys. ref. c. s. p. 115. quò, brevitatis amore, benevolum lectorem amicè remittimus.

## CAPVT II.

*Proponens*

### Tonsillarum Pathologiam.

§. I.

**S**icuti nulla, & ne quidem minima pars corporis humani est, quæ jacturam suam non patiatur; Ita etiam Tonsillæ id experiuntur, quæ, ut in naturali suo statu nec magnitudine, nec formâ excedant, sed ordinariè plerumque tantum parum in fauibus, ore licet satis hiante, linguâque depresso, utrinque ad uvulæ latera prominere conspiciantur; haut raro tamen tantam intumescentiam, aliaque mala incurunt, ut inde non solum respiratio, deglutitio & loquela difficulter peragantur; sed etiam sàpè vitæ pericula presso pede sequantur.

§. 2. Morbi, quibus tonsillæ affliguntur sunt varii, frequentiores tamen tumores, inflammations & exulcerationes. Leob. Fuchsius de med. morb. l. 2. c. 3. p. 97. tonsillas frequentissime phlegmonem incurrere ait, quod calidi & humidi sint; Existimarem autem potius, quod in loco calido & humido sitæ sint. Quemadmodum etiam tumores simplices, sine inflammatione & dolore frequentius in nostris regionibus contingere, experientia testatur.

§. 3.

§. 3. Ratione subiecti variant hi affectus; siquidem, quandoque tantum una tonsillarum, interdum vero amba simul, scil. in utroque faucium latere aut tument, aut alias male affectæ, e. g. inflammatæ, aut exulceratæ sunt. Imò tonsillis affectis haut raro uvula, & reliquæ glandulæ in faucibus, collo, œsophago & ponè aures sitæ, insimul graviter coafficiuntur; id quod præter alios plures autores experientiâ suâ confirmant Nicol. Piso de morb. cogn. & curat. l. 2. c. 2. p. 323. & Rondelletius Meth. cur. morb. l. 2. c. 4. p. 323. haut raro, dicentes, accedit inflammatio in unâ parte, quin & aliæ, ob vicinitatem lædantur. Sic vidimus ineunte vere hujus anni puerum, qui, cum in aëre frigidiori, ludendo occupatus, versatus esset diutius, in utroque latere tonsillas sentiebat tumentes, cum gravitate & dolore capitis, difficultate deglutitionis magnâ; ac rubore, dolore & ardore faucium vehementi; Et quia parentes auxilium non quæsiverant, quinto & sexto die malum sic exacerbatum observavimus, ut puer vix respirare, & cibum ac potum non nisi cum summâ, anxiâ & dolorosâ molestiâ assumere potuerit. Dependebant enim ambæ tonsillæ tumentes unâ cum uvulâ laxatâ in fauces; qui tamen puer adhibitis convenientibus auxiliis & remediis ulcererupto, & pure evacuato, pristinæ sanitati feliciter restituebatur.

§. 4. Provenit hoc à Symbolismo, quem glandulæ inter se, ob officii & generis societatem in toto corpore habent, maximum, ita, ut unâ male habente, mox labes in alias, non tantum vicinas, sed interdum quoque dissitas derivetur, & redundet. Cum igitur universus interni oris ambitus, palatique, colli & œsophagi caro ex innumeris conglomeratis glandulis, inter quas tonsillæ cum uvulâ primatum, ratione magnitudinis obtinent, contexta sint, prout non tantum Steno, sed etiam alii, qui de glandulis scripseruunt, uno ore id testantur, & anatomica inspectio confirmat; non mirari licet, quod tonsillâ unâ affectâ, simul etiam altera, & his affe-

B

Etis

Etis reliquæ vicinæ, & sæpe longius dissitæ in consensum trahantur, ita, ut non tantum universus faucium ambitus inflammetur, sed etiam ulcera longè latèque se in faucibus expandant, & serpent. De quo inter alios vid. *Felix Platerus Prax. tom. 2. c. 9. p. 315. 316.*

§. 5. Diximus Cap. 1. §. 2. veteres Tonsillas non tantum in statu suo naturali, sed etiam præternaturali avtiadas & magiðmia vocasse. Cum verò per eadem nomina diversos affectus indicent, imò ipsi autores inter se discrepent, nunc ulterius, quid sibi velint, dispiciendum erit.

§. 6. Job. Riolanus op. sect. 1. tr. 4. c. 5. p. 303. Tonsillas, ait, duo morbi obsident, pblegmone & scirbus; Paulus appellat magiðmia cum inflammantur, avtiadas verò cum scirrhescunt, quo nomine vocari à Græcis induratas ex inflammatione tonsillas Celsus annotavit. Ludov. Mercatur l. c. p. 164. postquam recensuit Galenum l. 3. de sympt. caus. avtiadas appellare cum tonsillæ tumore cum inflammatione, maximè à fluxione à capite delabente, tentantur; magiðmia verò esse inflammations locorum isthmum attinentium, addit; itaque antiades tonsillarum inflammationem appellare licet; paristhmia verò easdem, cum ad isthmum, & vicinas partes producitur, extenditurque inflammatio. Supra laudatus Nicol. Piso l. c. ut minimè confundantur, inquit, appellaciones, per antiadas tumorem dictarum glandularum, vel inflammationem intelligemus, per paristhmia verò tumorem dictorum locorum isthmoe attinentium, vel eorundem pblegmonem. Cur autem magiðmia vocentur hanc rationem dat Castellus in lexico suo medico l. c. quod locus ille, cui adjacent tonsillæ, velut isthmus quispiam sit, cum inflammatione tumet, & multò, quam anteā angustior sit.

§. 7. Variant prætereà tonsillarum affectus diversimodè, partim in se spectati, partim ratione modi officiendi. Etenim interdum tonsillæ præternaturaliter tument sine ulla inflammatione, ita, ut nullus ardor, nulla rubedo, nullaque sitis adsit,

sed

sed tonsillæ colorem suum naturalem retineant, qui tumor dicitur *simplex*; interdum verò tument, & inflammationem conjunctam habent, cui sèpè dolor ingens, ardens, rubor, cum fitti magna, & febre adjuncta observantur: Quandoque inflammatae tonsillæ abscessus patiuntur, quibus ruptis pus intra fauces effunditur, unde sèpè ulcus sordidum & graveolens relinquitur. Interdum verò, & non raro, inquit *Andernacus* l. c. dialog. 8. p. 633. *ulcus absque inflammatione ex humore salso, vel acri* dignitur, qui tonsillas molles, humidas & squalidas in totum exedit, sicuti etiam nec *contagium Venereum* hīc excludendum est. Serpunt quoque interdum maligna tumorum ulcera, annotante *Leonb. Fuchsio de med. morb.* l. 2. c. 4. p. 98. & *Guid. Rondelet.* l. c. p. 324. *Sennertus pract. med.* l. 2. part. 1. c. 22. ait: nonnunquam *maligna & serpentia ulcera in tonsillis oriri*, tempore in primis verno, & pestilente aëris constitutione, teste *Aetio tetrabibl. 2. serm. 4. c. 46.* sive ex præcedente inflammatione efferatâ, sive ex quavis aliâ causa, ut ex aphthis in pueris & adultis, qui pravis humoribus abundant.

§. 8. Quantum hactenus observavimus, frequentiores sunt tonsillarum tumores *simplices*, sine inflammatione & dolore ardente, & plerumque colorem suum naturalem retinent; Qui tumores proveniunt à *lymphâ*, quæ ordinariè ad has glandulas defertur, atque, ut excernatur, & impendatur iussum, ad quem à natura destinata est, sequestratur; quando nempe intra tonsillarum vascula exilia & poros retinetur, stagnat, & huic alia *nova afflit*; tunc enim, quæ anteà leviter saltim prominere videbantur tonsillæ, in notabilem, & patenti satis molestum tumorem extolluntur.

§. 9. Haut parum verò ad excitandos tales tumores confert ipsa *lymphæ*, quæ in his glandulis secernitur, & excernitur *consistentia naturalis*, utpote quæ in suo statu naturali spissior & viscidior est reliquo humido salivali, sicuti superius cap. 1. §. 7. indicavimus, unde fieri potest facilius, ut aëre,

vel vento frigido diurno, vel, & quod pejus, frigido & humido nocturno liberius admissio, vel ab aliquo acidum in sero augente, hæc lympha magis incrassetur, viscidior & spissior, quam par est, fiat, atque sic tumores gignantur.

§. 10. Si in massa sanguinea, & in primis sero particulae adfuerint acres, spiculis suis acribus & acutis fibras vasorum sanguiferorum, varie in glandulis gyratorum, pungentes, & sic pungendo, ut spasmodice convellantur & constringantur, ansam dantes, fieri potest, ut *sanguis* in suo circuitu per glandulas tonsillarum impediatur, retardetur, & stagnet, unde in iis, qui ad pletboram dispositi sunt, aut alias fervidorem, & ad fermentandum primum sanguinem habent, tumor inflammatorius, rubens, ardens & valde dolorosus frequentius oritur, interdum planè in anginam degenerans: quæ etiam ex hac ratione facile tunc exoriri potest, quod arteriæ & venæ majores hisce glandulis propè adsitæ sint; ut & si propter dispositionem capitis, colli, & glandularum nativam debilitem plus ad dictas, quam alias partes sanguinis, & seri adfluit, vid. *Felix Plater. l. c.* prout etiam omnes practici id annotarunt.

§. 11. Leonb. *Fuchs* l. c. p. 97. dicit, hoc vitio, nempe tumoribus inflammatoriis magis corripi hos, qui plurimo sanguine abundant, & pueros. Quod primum spectat, est id extra dubium, quemadmodum ex praecedente §. patet, quod verò ad pueros attinet, dubium videtur, cur saltim pueri magis corripi dicantur, & quod etiam *Hippocrates*, postquam in aphorismis suis Sect. 3. de morbis recens natorum & lactantium prolixè varias morborum species recensuit, tandem apb. 26. dicat: *Cum jam magis adoleverint, tonsillæ contingunt.* Ubi per tonsillas, earum inflammationem, secundum Galenum, aliosque inrerpretes intelligit. Dubitat quidem Galenus, cur in recens natis non meminerit *Hippocrates* tonsillarum, cum habeant cerebrum humiditate plenum; addit tamen, id fieri, quia prius infantes moriuntur, quam subjecti faucibus musculi una cum nervis fortem subeant inflammationem. Sicuti autem hæc in-

interpretatio, sive responsio Galeni non tantum Mercuriali dubia videtur, sed etiam experientiaz quotidianaz contrariatur, quaz haetenus pluries docuit, quod recens natis, & antequam infantes adoleverint, tam gingivæ, quam tonsillæ, aliæque in faucibus glandulæ exulcerentur ante dentitionem, & inflamentur sèpissimè; ita à tonsillarum affectibus nec lactantes infantes excludi possunt, nec debent. vid. Jacob Primerosius de morb. puerorum part. 2. p. 61. Adcidit autem iis hoc vitium vel ob propriam dispositionem, sanguinis hereditariam acrem, & fervidiorem, vel ob lactis vitium biliosum, falsum, acre, quod plerumque mater, vel nutrix ex prava diæta, dum cœpis, salmis, acidis, cibis nimis aromatibus conditis, raphano &c. utuntur, contrahunt, it. ex irâ nimia & crebra, ut & si cacochymia scorbuticâ, vel planè Venerea laborent. Sæpius quoque ob neglectam infantium præservationem & custodiam à ventis frigidis, in primis ab aëre frigido nocturno, qui per tenuiores & subtiliores infantum corporum texturas & poros patentiores facile penetrare, humores incrassare solet, stagnationes & tumores tonsillarum excitari possunt, maximè cum facies non obtegi tam benè possit ad modum, quo reliquum corpus involvitur. Provenit ob hosce tumores sèpè ut lactantes lac non sugere possint ex mammis.

§. 12. Possunt præterea ex acidine & falsedine humorum in omni ætate etiam oriri tonsillarum erosiones, & exulcerationes; atque interdum sine, interdum vero cum inflammacione contingere. Adebat non raro, inquit Andernacus l. c. dialog. 8. p. 633. ulcus absque inflammatione ex humore falso & acri genitus, qui tonsillas molles, humidas & squalidas in totum exedit; majus tamen malum imminet, ubi malignitas quedam Scorbutica, vel planè Venerea in sero & humoribus latet; tunc enim tumores tonsillarum in ulceræ pravi moris abiit, & sèpè cancrosa fieri assolent; id quod non solum jam laudatus Andernacus l. c. confirmat, sed etiam Leonb. Fuchsius

*l.c.c. 4. p. 98.* qui, serpunt quoque interdum maligna tumorum  
ulcera, & *l.c. p. 97.* ait: *Maligna quoque & serpentia ulcera*  
*tonsillarum aliquando à consuetis finnt phlegmonibus, po-*  
*tissimum efferatis, & frequentissime pueris, atque etiam ætate*  
*jam profectis, maxime his, qui vitiosis humoribus abundant,*  
*familiares sunt. Idem testantur Platerus, Sennertus, aliique,*  
*plures.*

§. 13. Utterius dantur quoque tonsillarum tumores  
*Scirrhoti*, qui *absque dolore & calore affligunt, colore* *que suum*  
*naturalem retinent, sed durissimi sunt ad tactum.* Quod viti-  
um oritur à lymphæ nutritiæ præter modum crassæ, in tonsil-  
lis stagnantis, majori facta incrassatione & coagulatione.  
Serum quidpe humorum facile coagulabilem esse, notum est.  
Ex longo etiam valde refrigerantium usu tonsillas interdum  
indurescere, in primis si non præmissa fuerit phlebotomia,  
vel purgatio ante topicorum applicationem, monet *Sennertus*  
*l.c. p. 86.*

§. 14. Quæ igitur tonsillarum affectuum *causæ* sint, ex  
haec tenus dictis aliquo modo eluescere potest. Nimurum ut  
*Platerus l.c.* ait: Dolorum & affectuum in hisce partibus cau-  
sa est vel *influxus humoris sanguinei*, vel *excrementicii*, vel *soluta*  
*continuitas.* Sive, humorum *quantitate, qualitate, & motu pec-*  
cantes. Proinde omnia, quæ humorum corporis, & in primis  
serum nimirum augmentare, eos aciores, viscidiores & cras-  
siores reddere, eorumque motum partim augere, partim in-  
hibere, & stagnationem causare possunt, *causæ* salutari pos-  
sunt: ut sunt dispositio hereditaria scorbutica, plethora, ca-  
cochymia, temperamentum pituitosum, cholericum, it. aëris  
frigidus & humidus, in primis nocturnus in non adfuetis,  
& delicioribus liberius admissus, deambulatio nudis pedi-  
bus super pavimenta frigida, it. in aquis, in primis palastris  
bus; Possunt quoque tumoribus tonsillarum, ut & inflam-  
mationibus, excoriationibus & exukeerationibus, tanquam  
cau-

causæ occasio[n]ales ansam dare, referente *Gerb. Blasjо l. c. spina infixa*, it. *cerasa acida*, *ribesia*, & ejusmodi alia acida copiosius devorata, fructus immaturi, austeri, it. aromata acriora, iisque largius condita, in primis valde piperata, vina generosa largius hausta, ut & acidiora. Vidimus ex musto acriori & acidiori tonsillas & gurgulionem tumentes, & dolentes, & ex fructibus cynosbati maturioribus largius contra calculus comeditis tumorem tonsillarum magnum & inflammatorum excitatum fuisse; alii annotarunt radicem ari crudam, & laureolam joci gratia exhibita, & comesta eundem effectum reliquisse, & ulceribus ansam dedisse. Nec frustrâ à Practicis inter causas tumorum tonsillarum refertur deglutitio bolorum grossiorum & duriorum, scil. rerum non satis masticatarum, à quibus non tonsillæ tantum, sed etiam quandoque æsophagus inter deglutiendum excoriantur, dolorosè afficiuntur, & diuturnos cruciatus excitant. Sicuti nec potus summè frigidus, dum præsertim corpus ob nimium antecedentem motum adhuc valdè calet, excludendus est. Exasperantur quoque & haut raro inflammantur tonsillæ unâ cum uvulâ à fumo, in primis rerum sulphurearum, it. ambulatione in pulvere astivo sicco.

S. 15. *Signa affectarum tonsillarum ore satis hiante, & linguâ depressâ obvia fiunt, sæpeque tonsillis tumefactis foris sub maxilla tumor visu, & tactu deprehenditur. Si que major fuerit intumescens, non solum de deglutitionis molestia ægri conqueruntur, sed etiam putant intus intra fauces, ceu frustulum quoddam faucibus adhærere, mole suâ linguæ radicem premens, & obstans, ne deglutitio, respiratio, & loquela debitè, & liberè fiant. In simplici tamen tumore intra fauces nullus ardor sentitur, nec rubor observatur. Pluribus, inquit Felix Platerus tom. 2. prax. c. 8. p. 314. cum anginæ notæ accidentibus tonsillæ utrinque uno, vel utraque latere globi instar protuberantes, porisque manifestis,*

spon-

spongiaz instar apertæ, & porosæ visuntur. Si inflammatio adfuerit, præter recensita phænomena etiam rubor, ardor, dolor, quandoque sitis magna, & febricula adesse solent. Ulcus à chirурgo prudenti facile, lingua depresso, & ore satis hiante cognosci potest. Scirrus se duritie manifestat, estque sine dolore, nec in ulcus abit; si vero eo redigitur, saepe periculosa res est. Signa causarum ex ægri relatione & constitutione, aliisque circumstantiis haberi possunt.

S. 16. Prognosin quod concernit, vult quidem Nicol. Piso l. c. p. 324. tonsillarum tumores deglutitionis molestia plus terroris, quam periculi exhibere, id quod forsan de simplici, & levi tumore, intelligit, qui tamen non semper planè negligendi sunt. Quamvis enim non solùm tumor, sed etiam, ita sentiente Felice Platero, l. c. p. 319. inflammatio tonsillarum tumores sint aliis in faucibus contingentibus, cum melius adhuc promineant, tractarique possint; non tamen, ita monente Jul. Ces. Claudino, l. c. p. 677. affectus tonsillarum à periculo omnino liberi sunt, dum locum non tantum locutioni, sed & deglutitioni atque respirationi, à quibus humana vita est inseparabilis, inservientem, occupant, quod periculum eò magis angetur, ubi vehementer atque frequenter ingruunt; cui accedit, quod tunc ægri ex longa patiendi consuetudine ad veram anginam disponuntur. Tonsillarum inflammatio morbus acutus est, inquit Sennertus, & saepè suffocationis periculum minatur, id quod verissimum est, nam inflammatio talis non tantum facile in consensum rapere potest laryngem, & excitare anginam, morbum pericolosissimum, sed etiam degenerare in ulceræ sordida, cancrosa. Si Tonsillæ tumidæ & inflamatæ albescunt & mollescunt, desinere in suppurationem sciendum est, apparentque demum in iis pustulæ, sicut in aliis ulceribus. Signa tonsillarum abscessuum tradit Nic. Piso. l. c. p. 325. Ulceræ tonsillarum si munda fuerint, exigua, nec serpant, securiora sunt, plura de hisce videri possunt

sunt apud Carol. Musitanum de ulceribus c. 41. p. 184. & seqq.  
Tonsillæ facile indurantur, & in scirrbum degenerant anno-  
tante Sennero l. c. p. 54. qui nunquam, aut saltim raro curan-  
tur. Tumor tonsillarum scirbosus est incurabilis, ait Gerb. Bla-  
sius l. c. p. 302. aut saltim difficillimæ curationis, maximè in  
statu existens, &, si dolorem faciat, sinatur, metu cancri, ita-  
suadente Job. Riolano l. c. p. 304.

## CAPVT III.

*proponens*

### *Curationem.*

#### §. I.

**M**ethodice curare est secundum indicationes, tam universa-  
les, quam particulares indicatae invenire, ea debitè or-  
dinare, atque ut ordinata ad præscriptum medici æ-  
gro applicentur, & recta dicta observetur, prospicere, & quan-  
tum fieri potest, omnem curam impendere.

§. 2. Nimis autem prolixum foret omnia hoc loco ac-  
curatius tradere, cum chartæ & temporis angustia, nobis in-  
juncta id non permittant; Brevis igitur nos expediemus.

§. 3. In tumore simplici magni olim, à pluribus æstimatae  
fuerunt, & adhuc hodie habentur frictiones statim factæ in carpo,  
de quibus inter alios plures legi potest Rondeletius l.c.p. 323. Nec  
tantum in tonsillarum tumor, sed etiam in uvula laxata com-  
mendantur, tanquam cura, quæ nunquam fallit, de quo vid.  
*Eph. Germ. Decar. 2. ann. 3. obs. 50. pag. 139.* Carolus Musitanus  
l. c. de tumoribus c. 40. pag. 188. plures modos recenset, qnos o-  
mnes fieri statuunt autores ad fluxionis diversionem. Vo-  
cat tamen hic autor talia remedia nimis rusticæ. Verum quid-  
quid sit; optarem ego sufficienter informari quomodo hæc di-  
versio fiat, quia nunquam fallere dicitur. Optimè in principio,

C etiam

etiam inflammationis, si levior sit, gargarisationes adstringentes adhibentur e.g. ex fl. malvae vel hortensis, vel arborecentis, prunellæ, papav. rhead. ros. rubr. sem. cydon. quæ cum e.g. aq. plantag. paululum ebullire possunt, atque aliquid de sirup. morum, dianucum, & sale prunellæ addi; hæc gargarismata, quia refrigerant, & mucum circa tumentes tonsillas abstergent, sæpe sola malum tollunt.

§. 4. Si tumor tonsillarum contingat sine inflammatione, lymphæ spissa, viscosa, & coagulata incidenda & attenuanda, attenuata & preparata verò evacuanda. Si verò inflammatio adfuerit, sanguis stagnans discontiatur; Et si ulcus adsit, illud ubi matrum fuerit, aperiendum, apertum abstergendum, & dolor quovis modo mitigandus. Insuper si forsitan scorbutus vel lues Venerea ansam dederint, ad hos morbos quoque reflectendum erit.

§. 5. Lympham viscidam attenuant optimè alcalia, quæ in hoc casu, ubi deglutitio læsa, melius in formâ liquida adsumi possunt: Inter alia commendatur liquor C. C. succinatus. Et dulcis, & quæ in potu cum salinis mixta laudantur, v. g. pulvis C. C. lapid. cancer. cum sale fumar. card. bened. centaur. min. cichor. Egregium quoque usum habet gummi ammon. in aceto Scyllit. solutum, Magist. benzoës, cum sirup. glyzirrh. & aq. scabios. vel hyssopi in formâ potiunculæ ad cochlear unum vel alterum singulis horis exhibitum. Nec contemneadæ hîc pil. Sylvii de Galbano, plura prudenti medico committimus.

§. 6. Preparatis humoribus laxantia svaderi possunt, inter quæ jam laudatae pilulæ ex gummæ it. MP. de gumm. ammon. Quercetani, addito stimulo scammoniato proficuae sunt. Sicuti nec dulcis, lymphæ viscidæ optimus corrector, hîc postponendus.

§. 7. Gargarismata, & quæ siphone faucibus infundi solent, chirurgis relinquimus, quibus hæc optimè nota sunt. Mel tamen crudum infundendis immiscere non ratum habetur ab autoribus.

§. 8. In

§. 8. In inflammatione quâvis faucium illiusque partium, sive magna adsit, sive adhuc metuenda, venæctio magni aestimatur à Platero, aliisque practicis, ob revulsionem, & in primis si plethora adsit. Debet etiam adhiberi, antequam topica refrigerantia adhibeantur, sicuti cap. anteced. §. 15. monuimus. Profund quoque & apprimè hîc locum habent, atque in tonsillarum inflammatione commendantur Diaphoretica à nunquam fatis laudato Wedelio de medic. facult. l. 2. f. 2. c. 3. p. 171. quæ ibidem prolixè recensentur.

§. 9. Si inflammatio in subpurationem desinere conspiciatur, tunc maturum ulcus aperiatur, nisi sponte se aperiat, & quidem, quod tutius, impetuosis infundenda syphone contra locum affectum impellendo. Si verò maturum ulcus hoc modo non aperiri possit, instrumentis aptis aperiendum est, postea ethen dum decoctis prunellæ, saniculæ, papav. rhead. aliisque chirurgis satis notis, quibus addi possunt mel rosat. & aliquid de lapid. prunell.

§. 10. Ab extra flores sambuci, méliloti, verbasci, chamo millæ benè decocti intra duplex linteolum ab extra regioni laryngis calide applicari possunt. Prodest etiam emplastrum de meliloto, quod apud nostrates in tonsillarum tumore quasi sacra anchora est, it. emplastrum de nido hirundinum. Vel cataplasma ex nidis hirundinum cum lacte coctum, quod in primis infantibus benè convenit. Commendatur etiam cataplasma ex mica panis triticei sive similaginei, cum melle, quod inflammations, si statim in principio adhibetur, optimè fistit, ut & unguenta ex ol. fl. chamon. verbasci, amygd. dulc. &c.

§. 11. Quid in Scirrōsis tumoribus, ut & in extirpatione tonsillarum chirurgo sciendum & observandum sit, vid. Paulus Ammannus in parenesi sua l. 5. part. 7. f. 1. c. 1. p. 369. it. Sennertus, Platerus, Scultetus, & Carolus Musitanus. Franciscus Feyneus med. pract. l. 2. 43. p. 284. Tonsillas, quæ post inflammations induruerunt curare oportet, ait, emollientibus gargarismis, ex altheâ, malvâ, radice lilii, sem, lin. & fænugræc. siccibus &c. aliisq; discutientibus, & si nec

sic

\* (20) \*

sic resolvatur tumor, hamulo excipere, & scalpello excidere jubet. Sin potius Carnosus ille tumor fuerit, vult aquâ forti, vel sublimatâ eum attingendum esse; verum res est periculosissima, speratum finem raro impetrans.

§. 12. Qui obnoxii sunt tumoribus tonsillarum, benè sanitati suæ prospiciunt, & se præservant, si verno & autumnali tempore, si tempus electionis illis favet, corpus aliquoties leniter purgant, caput purgantia, erthina, apophlegmatizonta, similique adhibent; si plethora adfuerit sanguinis missiones instituunt, vel scarificationes cum cucurbitulis, in primis si iis aliâs adsveti fuerint, aut fonticulos sibi excitari jubent; Ubique tamen ut medicum in consilium trahant svadeo.

§. 13. *Dies* in tali casu, & maximè si aeger frequentius tumoribus tonsillarum obnoxius sit, quia metus est, ne tandem aliquando angina inde oriatur, probè observetur; ideoque omnis aëris inclemens, in primis calidior vel frigidior & humidior vitetur. Abstineat à cibis crassis, viscidis, acidis, acribus, austeri, salaciis, infumatis, nimium aromatizatis, à vino generosiori, & copiosius adsumto, & quæ aliâs à practicis, vel à medico, quem consulit, dissuadentur.

**DEO SIT LAVS HONOR  
ET GLORIA IN ÆTERNVM !**



Anat B 154, 10